

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Widmungsbrief (an Kaiser Maximilian II.)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

IMPER. CÆSARI
MAXIMILIANO II.
AVG. GERMANICO
P. P. PIO FELICI B. R. N.

IUSTVS LIPSIVS

D. N. M. Q. EIVS.



HISTORIAM aptè scribere, Imperator, maiorum temporibus non solum magna, sed etiam rara laus fuit. Vtriusque causa à difficultate est: difficultas ex eo, quòd quæ alijs scientijs ferè singula proponuntur, ea historiae legitimæ vniuersa. Poëta si adpositè ad delectationem; orator ad fidem; philosophus ad vitam dicat: implese munus suum videntur. Historiæ scriptor nisi hæc tria simul misceat ac temperet, frustra se iactet in singulis, neque adlegit aliter inter meliores illos & quasi patricos historicos à prudenti Censore potest. Sed primum de tribus omnis historiae habet, quia animos nostros nuda narratio, cuiusmodi illa, natura delectat: alterum desideramus non rarò in Græcis: tertium etiam in nostris. Vt abstinence iudicare de antiquis illis Fabio Pictore, L. Cincio, M. Catone, Valerio Antiate, Gellio, Licinio Macro, alijsque quorum scripta vixerunt: ex ijs qui superant, C. Cæsar laudatur in primis. Si vt disertus narrator; libens assentio. est enim eius viri pura oratio, sine fuco ac calamistris ornata, vel Romanis vel Atticis Musis dignissima. sin vt perfectus historicus; dubitare me dicam, cum & nonnulli fidem eius in historiâ ciuili requirant, & tertium illud *ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν* totum ei desit. Itaque ipse Cæsar, ceteroqui minimè sui contemtor, Commentarios inscripsit non Historias: & hoc ipso laudem veram meruit, quòd falsam adfectare contempsit. Iam verò princeps historicorum audit Liuius. si magnitudinem operis, & varietatem rerum spectam-

I
spectamus, rectè: sed tamen (quod more maiorum liceat) à
Liuji lectione semper commotior surrexi, non semper melior
aut ad vitæ casus instructior. Sallustius vnus ex III. viris il-
lis est qui feliciter consecutus videtur hæc omnia, & quem,
si mei arbitrij res sit, in hoc lustro principem Senatus historici
legere non dubitem. Nam ceteri deinceps minorum quasi
gentium historici quantum à superiorum ætate, tantum & à
laude afuerunt. nisi quod admirabile est, quantum inter istos
vnus excellat, imitator Sallustij Corn. Tacitus, omni virtu-
te antiquis proximus, longo quidem interuallo, sed tamen
proximus: & si linguæ Latinæ esset eadem puritas, cetera sic
perfectus, vt vocare illos ipsos antiquos in certamen possit di-
gnitatis. Acer scriptor, Dij boni, & prudens: & quem si vn-
quam in manibus hominum versari vtile fuit, his certè tem-
poribus & hac scenâ rerum expediat. Non ille Annibalis
funestas Rom. victorias, non speciosam Lucretiæ necem,
non vatum prodigia aut Etrusca portenta recenset, & quæ
alia sunt oblectandi magis quàm instruendi lectoris: hîc mihi
quisque principum aulas, principum interiorem vitam, con-
silia, iussa, facta consideret, & obuiâ in plerisque nostrorum
temporum similitudine, ab iisdem causis pares exitus ani-
mo præcipiat. Inuenies sub Tyrannide adulationes, delatio-
nes, non ignota huic sæculo mala; nihil sincerum, nihil sim-
plex, & nec apud amicos tutam fidem; frequentatas accusa-
tiones maiestatis, vnicum crimen eorum qui crimine vaca-
bant; cumulas illustrium virorum neces, & pacem quouis
bello sæuiorem. Tristia ex ijs pleraque, fateor, & legentibus
mæsta: sed singulis nostrum à Thraseâ iam moriente dictum
putemus, *Specta iuuenis, & omen quidem Di prohibeant, ceterum in
ea tempora natus es, vt firmare animum expediat constantibus exemplis.*
Accedit genus ipsum sermonis minimè sordidum aut vulga-
re, distinctum crebris & nescio vnde ex abdito erutis sen-
tentijs, quas vel veritate vel breuitate vicem oraculi possis
accipere. Hunc igitur talem tantumque scriptorem, Imp.
meis laboribus quàm meliorem quàm illustriorem redditum Au-
gusto nomini tuo inscripsi, & quæ antiqua formula votorum
est, libens meritò donauit dedicauit. Libens inquam, propter
memoriam delati mihi nuper à M. tuâ beneficij: meritissimò
autem, propter diuinas in omni genere virtutes tuas. Omitto
illam heroicam fortitudinem in periculis, iustitiam in cogni-
tioni-

tionibus, constantiam in dubijs, prudentiam in consilijs: tantam & tam admirabilem clementiam, quantam experimur, quis vnquam in Principe vidit, legit, audiuit? Nouem iam circiter anni sunt cum te imperio orbis terræ, publica Felicitas admouit: toto hoc tempore gladium, nisi in hostem, strictum non vidimus. Nec defuerunt irritamenta seueritatis tuæ, aut femina ciuilis motus: sed videlicet prudenti moderatione quæ vulnerata erant sanasti potius quàm recidisti, & quædam dissimulans nec in omnia anxie inquirens maluisti videri inuenisse bonos quàm fecisse. Turpis illa Tyrannorum vox, & quam vtinam hodie nemo æmularetur, *Oderint dum metuant*: at tuam, quam factis cottidie promissis, quàm præclaram!

Ne metuant dum diligant. Et

Malo vereri quàm timeri me à meis.

Præclare. Non est enim, Cæsar, maiestas timeri, sed immanitas; neque vllum contra vim munimentum tutius est quàm munimento non egere. Iam verò quanta illa tua est in subditos comitas dicam? an humanitas? an nouæ atque inauditæ virtuti quærendum nouum nomen sit? Nihil gratiæ causâ loquar: sed, Deus bone, quæ vidi ipse Viennæ! Admittebantur ad sacros sermones tuos priuati cum principibus, pagani cum militibus, viri cum feminis, senes pænè dicam cum pueris intermixtis. Querelas aut desideria sua promebant, non solum patienter audiente te, sed interdum manu & vultu ipso, si quos fortè insolitus ille splendor percusserat, vt auderent, inuitante. Et iam audebant: finemque sermoni suus cuiusque pudor, non fastidium tuum faciebat. O virtutem magnam & iam demum cælo delapsam! hoc est verè Principem esse, hoc patriæ patrem: & Principem curis publicis præferre, patrem priuatis. Itaque, Cæsar, his nouis virtutibus hoc nouum consecutus es, vt cum alios Cæsares à morte demum cælum receperit, te iam nunc omnes habeant tamquam præsens & salutare numen; & inauditâ quadam felicitate, virtuti tuæ non comitetur immortalitas gloriæ, sed præcurrat. Atque hæ quidem virtutes quamquam à cælesti naturâ tuâ sunt, tamen vel augeri vel ornari aliquam partem videntur à studijs doctrinæ. quæ quanti æstimes hinc discimus, quòd vna Viennensis aula tua plures eruditos habeat, quàm aliorum tota regna. Quibus & Bibliothecam iam instruxisti sic adfluentem omni genere monumentorum, vt certamine cum Philadelpho & Pergamenis

menis regibus instituto vel superare eos posse videaris vel certè æquare. in quâ tantâ magnificentiâ nescio magis mirari animum Maiestatis tuæ an Fortunam debeam: animum excelsum, quòd colligere tam multa voluerit; Fortunam, quòd potuerit. In quorum tam felicium monumentorum numero si erit vt hic Tacitus meus censeatur: næ ille multò beatior, meo iudicio, fuerit, quàm olim cùm eum Imp. M. Claudius Tacitus describi & collocari in omnibus bibliothecis iussit. siquidem ille vitam ad exiguum tempus dare potuit, quæ nunc pænè eum defecerat: tuæ Maiestatis iudicio probatus Tacitus, vt poëta vetus loquitur,

Canescet sacris innumerabilibus.

